

---

**De L. Coelio Antipatro Belli Punici Secundi Scriptore ...  
(Latin Edition)**

**Meltzer Otto**


---

**Title: De L. Coelio Antipatro Belli Punici Secundi Scriptore ... (Latin Edition)**

**Author: Meltzer Otto**

**This is an exact replica of a book. The book reprint was manually improved by a team of professionals, as opposed to automatic/OCR processes used by some companies. However, the book may still have imperfections such as missing pages, poor pictures, errant marks, etc. that were a part of the original text. We appreciate your understanding of the imperfections which can not be improved, and hope you will enjoy reading this book.**





DE

L. COELIO ANTIPATRO

BELLI PUNICI SECUNDI SCRIPTORE.

COMMENTATIONEM SCRIPSIT

FRAGMENTA COLLEGIT

**OTTO MELTZER**

LAUENSTEINIENSIS.

---

LIPSIÆ

PROSTAT APUD M. S. PRIBER.

MDCCLXVII.

Le 55.7

1871, July 1.  
Salisbury Fund.

## I.

Nomen scriptoris fuit integrum L. Coelii Antipatri. <sup>1) 2)</sup>  
— Nihil dico hoc loco de antiquissimo illo Coele vel Caele  
Vibenna, ad quem utrum Coeliae gentis origo referenda sit  
netne et omnino minimi momenti est et nunquam discerni

<sup>1)</sup> De recentiorum libris, quibus in hoc libello conficiendo usus sum, perpauca mihi dicenda sunt. Eorum enim omnes qui ante annum h. s. XXI. in lucem prodierunt, nihil fere nisi pauca quaedam de scriptoris vita e notissimis locis desumpta, quibus unum alterumve veterum de eo iudicium additum sit, praebent. Uberius de eo disputandi occasionem fecit eruditionis certamen anno h. s. XX. ab ordine philosophorum academiae Lugduno-Batavae propositum, ex quo superiores evaserunt Bavius Antonius Nauta et Guilielmus Groen van Prinsterer, quorum commentationes leguntur in annalibus acad. Lugd.-Bat. a. 1820—21. Ab his quasi fundamentis omnes, qui postea de Coelio egerunt, profecti sunt; qui suo quisque loco nominabuntur.

<sup>2)</sup> Sic bis aperte nominatur apud Cic. Brut. 26. or. 69; plerumque tamen simpliciter Coelius, ita ut e proximis verbis aut sententiis, utrum hic an alius intellegendus sit, colligere debeamus. „Coelius Antipater“ appellatur ap. Plin. h. n. II, 67, 169. Non. II, pg. 108. Digest. I, tit. I. § 40; „Antipater“ ap. Cic. de or. II, 12. de leg. I, 2. „L[ucius] Coelius“ ap. Liv. XXVII, 27. Front. ep. ad M. Caes. IV, 3, pg. 95 Mai. Frisc. VIII, 4, 19. — Iam notum est in Coelii nomine scribendo inter *oe* et *ae* diphthongos ambigi, itaque — ut eorum qui duas, Coeliorum et Caeliorum, gentes inter se diversas statuunt sententiam nunc omittam — cur *oe* scribam explicandum certe erit. Et librorum quidem mss. auctoritatem — qua modo haec, modo illa forma, modo, id quod saepissime fit, „Celius“ comprobatur, qua in re vel eidem librarii minime sibi constiterunt — nullo modo nos sequi posse, satis perspexi; ab altera autem parte etymologia quoque, quam fortasse quis in auxilium vocaverit, plane incerta est. Igitur eam formam mihi assumendam esse putavi, quae optimis linguae Latinae temporibus usitata esset; cumque in inscriptionibus, quae ad nostra tempora manserunt, antiquioribus — praeter unam, ubi legitur „Kailius“ (v. Corp. inser. Lat. ed. Th. Mommsen. tom. I. n. 844) — scriptum inveniatur „Coilius“ (l. l. 270. 382. 1559), deinde autem ab exeunte fere saeculo a. u. c. septimo per totam Ciceronis aetatem — nisi quod rursus una tantum (l. l. 845) „Caelius“ praebet — „Coelius“ (l. l. 479. 571. 641. 858. 1125.): ipsorum certe Romanorum, si quidem et ipse sic scribo, auctoritate spero me aliqua ex parte defensum iri,

poterit; satis est scire, inde ab exeunte VI. demum a. u. c. saeculo eam nominari, et quidem duas, Caldorum et Ruforum, familias, utramque plebeiam. Antipatri autem cognomen praeter hunc Coelius nemo habuit.

Tempus, quo vixerit L. Coelius Antipater, certis quidem annorum finibus non iam potest circumscribi, sed facile de eo ex veterum scriptorum locis quae plane sufficiant colliguntur. Et primum quidem luculentissima quaedam testimonia leguntur apud Cic. de div. I, 26. et Valer. Max. I, 7. quorum, narrato somnio quod C. Graccho anno a. u. c. fere 627. vel antea visum esset, alter: „hoc, inquit, antequam trib. pl. C. Gracchus factus esset, et se audisse scribit Coelius et dixisse multis“; alter: „Coelius etiam certus Romanae historiae auctor sermonem de ea re ad suas aures illo adhuc vivo pervenisse scribit“. Porro idem Cicero de leg. I, 2. postquam Catonem, Pisonem <sup>1)</sup> — qui consul fuit a. 621. censor 634. ergo natus, si ad legem Villiam tempora computamus, certe a. 578. —, Fannium — quaest. a. 615. praet. 617. natum igitur ad summum a. 577. —, Vennonium nominavit, Coelii mentionem his verbis inducit: „Fannii autem aetate coniunctus Antipater paullo inflavit vehementius et q. s.“ eique successisse dicit Clodium Licinium, P. Sempronium Asellionem, <sup>2)</sup> natum, ut videtur, non ita multo post a. 590 (cf. Krause, vit. et fr. v. h. R. pg. 216). Eodem modo Cic. de or. II, 12. post Catonem, Fabium Pictorem, Pisonem enumerat Coelium eumque dicit fuisse L. Licinii Crassi (qui quidem natus est a. 614. mortuus 663. cos. 659) familiarem. Jam vero in Bruto, inde a. c. 21,

<sup>1)</sup> Non ita magni momenti est, quod Krause, vit. et fragm. vet. hist. Rom. pg. 183, urget, quod in Bruto, c. 27, post Fannium demum et Coelium Liso a Cicerone commemoratur. Is enim, quamvis illis utique maior natu fuisse videatur, tamen non tanta aetatis differentia inter eos intercessit, ut non post illos ac tum demum, ubi quaestionum perpetuarum vel, id quod maximum est, Ti. Gracchi C. que Carbonia, quibuscum Pisonis historia artissime cohaereret, commemoratio idoneam eius rei occasionem sibi offerret, sine reprehensionis metu Cicero eum recensere posset.

<sup>2)</sup> Quae quidem verba cum codd. optimi fere omnes sic scripta praebent: „ecce autem successere huic bello Clodius, Asellio, nihil ad Coelium, sed potius ad antiquorum languorem atque inscitiam“, in reliquis „belli“ legeretur, Guilielmus „Gellii“, Passeratius „Gellius“ scribendum esse censuerunt eosque posteriores editores omnes secuti sunt. Quae quidem mutationes prorsus reiiciendas esse aperte docuit Nipperdey, Philol. t. VI. pg. 133., cui in omnibus plane assentior, nisi quod „belli“ vocabulum, utpote quod optime ad rem quadret, utique retinendum mihi videtur.

hunc fere oratorum aliorumque litteratorum hominum, qui illis temporibus floruerunt, ordinem Cicero proposuit; quem si totum hoc loco reddo praeter accuratorem temporis, quo Coelius vixerit, cognitionem vel ideo haud inutile me facturum puto, quod sic simul, qui omnino tum litterarum laudibus celebres fuerint, optime perspicitur. Post P. igitur Cornelium Scipionem Aemilianum C. que Laelium Sapiensem uberius Cicero exposuit de Ser. Sulpicio Galba, qui praetor fuit a. 603. cos. 610. natus igitur a. circiter 563. Post hunc nominat L. Mummius, cos. 608. nat. igitur circa a. 565, eiusque fratrem Sp. Mummius; deinde Sp. Postumius Albinus, cos. a. 606; L. — cos. a. 628 — et C. Aurelius Orestas; P. Popilius Laenatem, cos. a. 622; C. Sempronius Tuditanus, cos. a. 625; M. Octavius; M. Aemilius Lepidus Porcinus, cos. a. 617; Q. Pompeius, cos. a. 613; L. Cassius, qui a. 617. legem tabellariam tulit; M. Antonium Brisonem, trib. pl. a. 617; Cn. — cos. 613. — et Q. — cos. 614 — Servilius Caepiones; P. Licinius Crassus Mucianus, cos. 633; C. Fannius C. F. Strabonem, praet. 627. cos. 632; C. Fannius M. F. Strabonem annalium scriptorem, quem supra iam commemoravimus, simulque, occasione sibi oblata, Q. Mucius Scaevolam augurem, cos. a. 637., C. Laelii generum, C. Fannio M. F. aliquot annis minorem. Post hos igitur, c. 26. extr., L. Coelius Antipatrum nominat iudiciumque suum de eo profert et simul L. Licinii Crassi magistrum eum fuisse dicit. Tum enumerantur Ti. Sempronius Gracchus, natus a. circiter 590. mortuus 621. C. Papirius Carbo, natus eodem fere tempore, praet. 630, etiam antea tanquam Aem. Lepidi Porcinae discipuli breviter commemorati; tum post aliorum qui minoris momenti sunt satis magnam catervam C. Scribonius Curio, praet. a. 632; M. Aemilius Scaurus, nat. a. 591. praet. 634. cos. 639. cens. 645. cos. II 647; P. Rutilius Rufus, nat. circa a. 600. praet. 643. cos. 649; C. Gracchus, Tiberio fratre novem annis minor, in quo iam finem enumerandi faciamus. — Coelium igitur cum vv. dd. omnes, quorum libros inspicere potui, natum esse scriberent aut omnino exeunte saeculo VI. aut diserte inter annos 590. et 600.<sup>1)</sup> considerantes, ut opinor, maxime quo loco a Cicerone in ea, quam ipse statim antea reddidi, virorum litteratorum serie

<sup>1)</sup> Temere nec qua in reliquis uti solitus sit cautione Léon de Closset (essay sur l'historigraphie des Romains jusqu'au siècle d'Auguste, v. „Annales des universités de Belgique, années 1847/48. pag. 475) haec dicit: Né à la fin du VI<sup>e</sup>. siècle de Rome, il parvint à la questure vers l'an 617, et q. s.



enumeraretur: non ita accurate mihi videntur egisse. Multo maioris enim in hac re momenti sunt loci illi quos supra attuli e ll. de leg. et de or., in quibus mere chronologicam, quam vocare mihi liceat, rationem valere ultro apparet, id quod in Bruti locum, certe sic simpliciter, non cadit. Itaque Coelius, quantum ego video, si post Fannium et ante Clodium Licinium Semproniumque Asellionem nominatur, maxime autem si Fannii aetate coniunctus dicitur, natus potius esse debuit circa a. a. u. c. 580. Cui quidem sententiae neque praeterea quidquam obstat, et facile etiam explicatur, cur a Cicerone in Bruto eo, quo vidimus, loco nominatus sit. Scilicet qui re vera eius aequales essent, tanquam oratores multo prius in foro excellebant laudesque etiam tum adolescentes sibi parabant; Coelius vero, qui causas orator non ageret, sed cuius gloria opere tantummodo de historia belli Punici secundi scripto, quod tamen vel ultro fieri debebat ut non adeo adolescens — id quod omnino in rerum gestarum scriptoribus factum esse scimus — ederet et post C. Gracchi mortem demum editum est, niteretur: vel iure sic inter eos, qui nati quidem minores essent, sed, quamvis minores, eodem tempore florerent, enumeratur. Et hoc quidem Pomponius quoque (digest. l. tit. II de orig. iuris, § 40) sibi voluisse videtur, cum haec diceret: „Ab his (scil. P. Mucio, Bruto, Manilio, qui fundaverunt ius civile) profecti sunt P. Rutilius Rufus, qui Romae consul et Asiae proconsul fuit, Paulus Virginius et Q. Tubero ille stoicus, Panaetii auditor, qui et ipse consul.<sup>1)</sup> Etiam Sex. Pompeius fuit eodem tempore et Coelius Antipater, qui historias conscripsit, sed plus eloquentiae quam scientiae iuris operam dedit; etiam L. Crassus, et q. s.;“ quo sine dubio etiam accedit, quod illos tanquam in iurisprudentia potiores anteposuit, Coelium, quem minus in ea valuisse statueret, aut ob hanc ipsam causam post illos, aut, quod L. Crassi magister fuisset, cum hoc quasi artissime coniunctum nominavit. Praeter hos, quos attuli, etiam ap. Vell. Pat. II, 9. de Coelii aetate locus quidam exstat, quo tamen, cum Sisenna tantummodo Coelius vetustior fuisse dicatur, nihil novi ad ea, quae iam in antecedentibus statuiamus, additur.

E Ciceronis et Valerii Maximi locis supra allatis satis apparet, Coelii opus, ut iam diximus, post C. Gracchi mortem, i. e. post a. 633, demum editum esse. Quod tamen

<sup>1)</sup> In hoc erravit Pomponius. cf. Cic. Brut. 31, 177. Perizon. animadv. hist. c. II. Groen v. Pr. pg. 7.

non ita multo post factum esse potest, cum C. Laelio Sapienti inscriptum fuerit (de qua re v. quae infra proponam), qui quanquam Scipioni, qui obiit a. 625, superstes fuit, tamen, si vitae spatium illud, quod quasi omnibus commune habere solemus, non superavit, circa a. 640. — natus enim fuisse videtur a. circiter 567. aut 568. — mortuus est. Quod etiam confirmari videtur ratione ea, qua apud Cic. de or. II, 12. 13., quem quidem dialogum ipse Cicero a. 663. habitum esse fingit, de Coelii opere agitur.

Quo anno Coelius mortuus sit nescimus. Consentaneum tamen est, eum medio circiter saeculo VII. decessisse; id quod praeterea etiam ex eodem Ciceronis loco aliquo modo colligi potest.

Iam vero quicumque scriptoris nomen considerarit, statuere vix dubitaverit, Graecum hominem eum fuisse, hominis ex Coelia gente cuiusdam libertum. Verum tamen id statuendum esse, quamvis proprie de ipsa re nihil certi traditum sit, viri docti, qui de Coelio egerunt, ad unum omnes strenue negarunt, et ego quoque negandum censeo. Namque et diserte Sueton. de gramm. et rhet. 27 (pg. 124 Reifferscheid.): „Deinde, inquit, rhetoricam professus Cn. Pompeium Magnum docuit (sc. L. Voltacilius Plotus vel, ut antea fere appellabatur, C. Otacilius Pilutus) patrisque eius res gestas nec minus ipsius compluribus libris exposuit, primus omnium libertinorum, ut Cornelius Nepos ait“ — (de cuius in hac re iudicio prorsus non est quod dubitari possit) — „scribere historiam orsus, non nisi ab honestissimo quoque scribi solitam ad id tempus;“ — et si historiae et iurisprudentiae — nam hanc quoque Coelius Cicerone Pomponioque testibus amplexus est — originem et progressum et qui tum fuerit statum animo reputaris, vel ultro quod dixi apparebit. Sive igitur libertini fortasse cuiusdam filius, quod Lachmann de font. Livii comm. II. pg. 19., aut omnino, id quod cautius proposuit Krause l. l. pg. 183, ex libertino ordine oriundus sive, id quod mihi quidem veri similis videtur esse,<sup>1)</sup> ex ipsa Coelia gente fuit, ita ut proprie Caldi vel Rufi vel

<sup>1)</sup> Quamvis enim ipsa cognominis ratio Lachmanno l. l. libertinum proderet videatur, utpote quae eadem sit ut in Livio Andronico, diversa autem aliorum Graecae originis cognominum, ut Philonum, Sophi, Eutrapeli,<sup>4</sup> tamen hoc argumentum nihil aut certe non multum valere, quicunque quae leguntur apud Plin. h. n. VII, 12, 54. coll. XXI, 3, 10. inspexerit et quot praeterea similes causae cogitari possint animo reputaverit, facile intellet. Contra, id quod ego maxime urgendum esse puto, iuris scientia Romanum prodit.

aliud quoddam cognomen haberet, quod tamen postea ob Antipatri agnomen — quod qua de causa ei impositum sit nos iam perspicere non possumus — in oblivionem prorsus abiret: sine dubio civis Romanus fuit et honesta quadam vitae condicione usus est. Et sic etiam a scriptoribus omnibus, maxime a Cicerone, ut iam vidimus, inter summos viros nominatur.

Ad rempublicam eum non accessisse pro certo affirmare ausim, cum nec in fastis magistratum eius nomen invenitur nec ullo loco apud veteres scriptores, id quod utique ex spectandum erat, eius rei mentio fiat; nec quisquam, opinor, ut etiam recte monuit Krause l. l., hunc eundem esse putaverit ac L. Coelium illum, qui a. 585. legatus Illyrico praeerat (Liv. XLIII, 21); quae quidem sententia vel sola temporum computatione refellitur.

Ius profitemem, ut multi alii, etiam L. Licinius Crassus, qui adolescens eam scientiam admodum vehementer amplexus et P. quoque Mucii Scaevolae institutione diligentissime usus est (Cic. de or. I, 55) audivit,<sup>1)</sup> posteaque etiam in familiarium numero habuit.

Denique Graecis litteris Coelium doctum fuisse, etiamsi non aperte confirmaretur eo, quod ex Sileni opere tanquam fonte hausisse dicitur (Cic. de div. I, 24), vel sine certis testimoniis statuere nobis liceret. Has enim didicisse illis certe temporibus et omnino homini erudito cuique et maxime ei qui Laelii consuetudine uteretur, per se necessarium erat.

## II.

Jurisconsultum fuisse L. Coelium Antipatrum in antecedentibus iam vidimus. Eius tamen studii cum nec monumenta ulla exstant nec ipse omnino de iure civili commentarios scripsisse dicitur aut videatur: veterum quae de ea re habemus iudicia nobis sequenda erunt. Quae quidem si obiter inspexeris, haud paulum inter se differe existimabis; Cicero enim cum iuris eum dicat fuisse valde peritum (Brut 26),

<sup>1)</sup> Minime autem locus ille, qui est de or. I, 55., quo studii iuridici et hortatoris magister Crasso domi fuisse dicitur, ad Coelium referendus est; non sane quo tale munus eius personae parum conveniat, quod proposuit Groen van Pr. pg. 9, sed quia, quae illo loco de eius studii ratione proferuntur, cum eis, quae de Coelii in iuris scientia tractanda ratione, Pomponium aliumque Ciceronis locum secutus, statuenda esse putavi et statim exponam, coniungi plane non possunt. Imo ille qui significatur homo videtur fuisse C. Aculeo; cf. de or. I, 43, 191. II, 1, 2.

Pomponius (dig. I, t. II. § 40.): „sed plus, inquit, eloquentiae quam iuris scientiae operam dedit.“ Sed commode inter se coniungi possunt, si quidem, qui fuerint illi, qui sic de Coelio iudicarent, recte consideraris. Et Pomponius quidem tanquam merus iurisconsultus, ut ita dicam, fert sententiam neque adeo acerbam, cum tamen inter summos eius ordinis viros Coelium enumerarit, et sic explicandam, ut eum non ipsum quidem dicat aut accusatorem aut defensorem causas egisse — (quod si factum esset, Cicero eum nominasset inter oratores, nec tantummodo tanquam scriptorem laudasset) — sed ita ut, quamvis ceteris illis iuris aliquanto minus peritus esset, eum auditores suos non magis ad ipsam rem, i. e. ad meram iurisprudentiam, instituisse intellegamus, quam ad id, quod ceteri fere non facerent, ut artem illam etiam oratione — ut Ciceronis, de or. I, 55, verbis utar — exaggerarent. Alterum autem, Ciceronis, iudicium est hominis, qui in merorum iurisconsultorum numero non habendus sit, sed orator oratoriam maxime artem respexerit; itaque non diversum quiddam, imo plane idem Ciceronis laude, quod Pomponii, si quidem sic eam vocari licet, vituperatione videtur significari. Hac ipsa autem, qua ius tractaret, ratione Coelius haud paulum non modo ad eius disciplinae, sed omnino ad Latinarum litterarum progressum videtur valuisse maximeque in instituendo L. Crasso eam habuisse vim, ut is „eloquentium fieret iurisperitissimus.“ Vix enim dubitari posse existimo, quin summa eorum quae leguntur apud Cic. de or. I, 55, ad Coelium referenda sit; quo quidem loco Crassus, cum P. Mucii Scaevolae, cui primum se dedisset, artem indotatam atque incomptam esse vidisset, iam tum — Coelii sine dubio auctoritate atque exemplo commotus — id potissimum appetivisse dicitur, ut verborum dote eam locupletaret atque ornaret et oratione exaggeraret, ita ut de M. Antonii sententia vel nimium quiddam huic tribueret. — Sed iam cum eius studii nec monumenta nec testimonia plura habeamus, in his acquiescendum proficiscendumque nobis erit ad id, quo summas quasdam laudes Coelius sibi paraverit, historiam.

Nitebatur autem haec Coelii laus opere <sup>1)</sup> in septem, ut videtur, libros distributo, <sup>2)</sup> quod scripsit de historia belli Pu-

<sup>1)</sup> Quamvis enim eius modo „historiae“ modo „annales“ laudentur, id unum opus fuisse, qui litterarum Latinarum historiam novit, ultro videt, et vel eo significatur, quod saepe simpliciter citatur „Coelius“, vel „Coelius in I“, similia.

<sup>2)</sup> Tot saltem a veteribus scriptoribus laudantur, ex quo, ut saepissime in eiusmodi scriptis accidit, etiam huius omnino plures non